



CHRISTOPHORI HARTKNOCH,

Viri CLmi,

ORIGINES POMERANICÆ.

I.

IN Origines Pomeranicas inquisituri, tres Periodos ab aliis jam notatas, in sequentibus observabimus. *Prima* est veterum Germanorum. *Secunda* Savorum. *Tertia* iterum Germanorum. Quod ad primam attinet Periodum, antiquitus ignorarunt Scriptores, quænam hunc tractum inhabitarent gentes. Herodotus certè (qui vixit tempore Artaxerxis Longimani Persarum Regis, Olymp. 84.) de extremitatibus Europa, quod pro comperito referat, non habere se testatur, nisi quod tenui & dubiâ famâ quasdam gentes ad Eridanum fluvium habitantes, succinum colligere ipsi relatum sit. lib. III. qui dicitur Thalia mult. supr. med. pag. 234. Quæ Pytheas post Herodotum de his gentibus tradiderit, alibi ostendimus, cum de Originibus Prussicis ageremus. Iulius Cæsar post hæc multa quidem de *Svevis* memoriæ prodidit lib. IV. Comment. in pr. quæ Iohan. Micrælius ad suos quoque Pomeranos applicat; non posse tamen ea gentibus ad mare Balthicum habitantibus competere, probavit jam ante Philip. Cluverus lib. III. Germ. Antiq. cap. V. ibi enim

D 3.

enim